



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

112. An iudex secundum allegata, & probata possit occidere reum, quem scit ex priuata scientia esse innocentem? Et an hoc etiam extendatur ad ministrum iustitiae? Et in textu huius Resolutionis multa ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

## RESOL. CXII.

*An iudex secundum allegata, & probata possit occidere reum, quem scit ex priuata scientia esse innocentem? Et an hoc extendatur ad ministrum iustitiae? Et in textu huius Resolutionis multa docentur, quae in tali casu iudices debeant facere, antequam reum, quem sciunt ex priuata scientia, esse innocentem, condemnent, & occidant. Ex p. 5. tr. 4. Ref. 22.*

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Diuus Thomas in 2. 2. q. 67. art. 2. & ibi Caietanus, Bañez, Salonius, & Atagon, Sotus de iustitia, lib. 5. q. 4. art. 2. Valentia tom. 2. disp. 5. q. 11. punct. 2. Sayrus in Clauis Regiae, lib. 12. c. 5. n. 13. Strouersdorf de iustitia, & iure in 2. 2. D. Thom. q. 67. art. 2. conclus. 2. Tannerus tom. 3. disp. 4. q. 4. dub. 2. n. 51. & ratio est, quia iudex in iudicando publicam personam, & quidem ipsius communitatis sustinet, ergo debet vti scientia tantum publica, quae ipsi communitati probabilis reddatur. Adde quod homo in iudicando non debet vti ea scientia cuius vsu iuxta mores hominum aperitur via infinitis fraudibus, talis est priuata scientia: ergo, &c.

2. Sed his minime obstantibus contrariam sententiam tuentur docti recentiores, Syluius in 2. 2. D. Tho. q. 66. art. 2. conclus. 2. Petrus Nauarta de reffit. lib. 2. cap. 3. n. 161. Malderus in 2. 2. tr. 6. c. 1. dub. 13. Lessius lib. 2. c. 29. dub. 10. n. 78. Et ratio est, quia directè & ex intentione occidere innocentem est per se malum, & aduersatur non modò charitati, sed etiam iustitiae. Ergo iudex non potest innocentem morti adiudicare quantumuis probetur nocens: alias quinque rationes adducit Syluius, quas omninò videbis. Vnde in casu contingenti secundum hanc posteriorem sententiam iudex debet à principio conari auertere actorem ab accusatione, quòd si non obtineat, sedulam operam det, vt actor litem ceptam non profequatur, curèque siue ipsam, siue testes secretò admoneri per doctos & prudentes de sua falsitate, vereanturque Dei iudicium. Si nihilominus nolint desistere, litem protrahat, testes bis, ter, quater seorsim per interualla diligenter examinet super circumstantiis facti, per earum species, partes & accidentia ad deprehendendam variationem eorum, siue à seipsis, siue inter se, nec facile permittat, vt quae variatio fortasse deprehenditur, censetur esse dumtaxat de impertinentibus: sicut Daniel non censuit esse impertinentem circumstantiam in facto Sulfannae, quòd testium vnus diceret contigisse sub sehino, alter sub pino. Quòd si hac via non proficit, si comòdè & absque scandalo queat, carcerem cuius manere apertum, vt reus fugiat, si nec hoc quidem succedit, ad superiorem iudicem remittat. Partibus autem pro sententia instantibus dicet iudex inferior se in ista causa difficultatem inuenire, nec posse iudicare, sed eundem esse ad Superiorem, quem ipse secretò benè informet, secumque (si habeat) alium testem producat, qui apud illum Superiorem cum ipso testificetur de innocentia rei. Si non habeat alium testem, ipse solus assumat personam testis super innocentia accusati, quando viderit hoc posse prodesse. Supremus verò iudex ab eo iudice inferiore benè informato dicat se ex causis sibi cognitis nolle istum reum adiudicare morti, vel mutilationi, pœnamque (si videret expedire) supra sua auctoritate relaxet. Præterea toto tempore, quo negotium istud agitur, ardentibus ad Deum precibus tam iudex, quam reus fundant pro auxilio, & si profuturum videatur, iudex affirmet certò scire, quòd reus sit innocens, & quòd testes falsum deponant. Si inquam, videatur profuturum, alioquin contra testes nihil dicat, ne difficultatem creet sibi nocituram, & reo nihil profuturam. Verùm si postquam omnes vias ten-

tauerit ad innocentem liberandum, & nihil profecerit, deponat officium potius, quam cum condemnet, etiam cum periculo vitæ. Ita Doctores citati, qui hanc doctrinam extendunt etiam ad ministrum iustitiae, & dicunt non posse mandare executioni sententiam mortis, quam certò nouit esse iniquam, sicut enim intrinsece malum est te iubere occidi eum, quem scis innocentem, ita malum est te hæc iussa exequi: quod confirmatur, quia subditus qui certò nouit bellum esse iniquum, non potest inscribi, & militare (quòd est sententiam Principis contra hostes exequi) etiam si Princeps iubeat, ergo similiter si sciat certè hunc iniquè damnatum, non potest sententiam exequi. Secus autem si non esset mortaliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione, tunc enim debet credere potius Superiori, quam sibi. Ita Lessius n. 83.

3. Sed quid ego sentiam in præsentis quæstione, exponam breuiter. Dico igitur quòd si iudici adhibitis supradictis diligentibus magnum damnum & incommòdum obueniret ex depositione officij, non tenetur illud deponere, sed sequendo primam sententiam condemnare potest reum ex publica notitia talem repperit. Vide Filiucium 10. 2. tr. 48. c. 6. n. 171. & alios.

## RESOL. CXIII.

*An iudex debeat attendere solum in ferenda sententia ea, quae allegata sunt, vel ea, quae allegari possunt? Et notatur, quòd iudex teneatur omnibus modis laborare, vt veritas inueniatur, & falsitas deregatur, vt secundum ipsam possit iudicare. Ex p. 9. tr. 9. & Milc. 4. Ref. 41.*

§. 1. **E**X Vasquez, & Sanchez docet Castrus Palaus 10. 1. disp. 2. de conscient. opinante. punct. 10. nu. 9. Iudicè in eligendis opinionibus attendere solum debere, quae allegata sunt, non quae allegari possunt, neque posse alteri parti, quae allegare, vel probare debeat, aperte, cum hoc sit officium non Iudicis, sed Aduocati.

2. Verùm (nota Iudex) contra supradicta insurgit Dicastillus de iust. l. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 9. n. 285. Nam (ait ipse) si quæ Aduocatus non allegauit inficitia, inaduerterentia, vel malitia sua, talia sint, quæ vt pote vera, aut magis probabilia necessariò mutant iudicium, si allegarentur, non video, cur non debeat hæc Iudex supplere per se. Atque in primis eo ipso, quòd causa iudici proponitur, tenetur ex officio examinare omnia, quæ necessaria sunt ad cognitionem causæ. Primò circa factum, deinde circa ius, supposita facti veritate cognita: quidquid enim Aduocatus præstat, solum est vt iudex habeat sufficientem informationem facti, & iuris, debitamque notitiam, vt sententiam ferat. Si autem iudex videat Aduocatos partium, & partes ipsas omittere vera, & genuina argumenta, vnde veritas facti licitè possit cognosci; item non allegare rationes, & leges præcipuas, quæ sunt in iure communi, aut particulari, quæ magis ad rem sunt, cur non poterit, imò debet id totum supplere per se, siue illud præstando, & profertendo, siue iudicando, vt ea proposita in libello, seu processu (vt appellant) habeantur, & ad illa attendens possit iustam sententiam ferre? Nam quòd communiter dicitur iudicem debere iudicare secundum allegata, & probata, intelligi debet secundum allegata, & probata sufficienter, & quantum satis est: non censentur autem, quæ sola, & sine adminiculo aliorum, quæ possent, & debuissent allegari, allegata sunt, & quæ melius possent, & debuissent probari non censentur probata sufficienter. Vnde si iudex facere potest, & curare, vt vnusquisque Officialis rectè, & plenè præstet suum officium in Republica, illòsque monere, si aliquid negligant, cur non poterit etiam monere Aduocatum, si videat illum, vel negligentem, vel ignarum eorum, quæ præstare tenetur? Quando enim